

VIII.

Quemadmodum dominus ius in ministerialem transferre in alios, ita eodem prorsus cedere feminamque ministerialem ex suo nexu dimittere potuit. *e)* Qua dimissione femina ministerialis non tam ingenuitatem, quam amiserat numquam, sed libertatem a ministerii nexu consequabatur. Fiebat ergo ingenua libera, ut fere dicere solemus *adelich frey*, quae hactenus fuerat ingenua *ministerialis*. Hoc sensu liberi, a nexu ministerii immunes, a ministerialibus distinguuntur saepissime. Quod vero non minus nexum ministerialem cum *servitute*, quam liberationem ab hoc nexu, cum *manumissione* comparauerint, qui stilum Romanum accommodarunt Germaniae institutis, hoc tribuendum est stilo & mori veterum; cum haec magis *dimissionem ministri seu officialis ab obligatione officiorum erga dominum* imitari videatur. Et feminae tum praefertim, quando connubii cum ingenuo libero ineundi occasio ferebat, a ministeriali nexu liberari prouidi cupiebant, ne proles ex huiusmodi matrimonio suscepta, matris ministerialis conditionem sequeretur. Sed haec ulterius illustrare, instituti ratio non patitur; & erit forte de his dicendi alius locus. Pergendum est ad id, cuius causa pauca praefatus sum. Indicandi enim sunt honores

VIRI

e) Ius feud. Alem. cap. 54. Ceterum cum multiplex significatus vocis, ministerialis, subinde difficultatem parit in doctrina de ministerialibus; tum cauendum, ne ad ex-

empla ingenuarum, ex nexu ministerii dimissarum, referantur manumissiones ministerialium propriarum.